

adl.

MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM MÉTROPOLITANÆ ECCLESIAÆ

ET
ARCHI- DIOECESIS SALISBURGENSIS
JUSSU ET AUCTORITATE
CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI S. R. I.
PRINCIPIS, AC DOMINI DOMINI
SIGISMUNDI CHRISTOPHORI
ARCHI- EPISCOPI SALISBURGENSIS,
S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATI NATI,
GERMANIÆ PRIMATIS &c. &c.

Accuratus revisæ, ac de novo emendatæ, & ad normam Missalis
Romani in lucem editæ.



SALISBURGI,

Typis, & impensis Joannis Josephi Mayr, Aulico-Academici Typographi p. m. Hæredis.
M. DCC. LXVI.

MISSÆ SS. ARCHI-DIOECESIS

PROPRIÆ SALISBURGENSIS.

Die XX. Januarii.

SS. FABIANI & SEBASTIANI.
Mart. Dupl. maj.

Missa. Intret in conspectu tuo.
ut in Missali Romano suo
loco.

Die XXII. Januarii.

SS. VINCENTII & ANASTASHII
Mart. Dupl. maj.

Missa. Intret in conspectu tuo. ut
in Missali Romano suo loco.

Die VI. Februarii.

S. AMANDI Episcopi & Conf.
Duplex.

Missa. Sacerdotes tui. ut in comm.
Confess. Pontif. commemorat. S.
Dorotheæ Virginis & Mart. Orat.
Indulgentiam. de comm. Virg. &
Mart.

Die X. Februar.

S. SCHOLASTICÆ Virg. Dupl.
Missa. Dilexisti. ut in comm. Virg.
tant.

Oratio.

DEUS, qui animam Beatæ Virgi-
nis tuæ Scholasticæ ad osten-
dendam innocentiaæ viam, in
columbae specie Cœlum penetrare fe-
cisti; da nobis ejus meritis, & pre-
cibus ita innocenter vivere, ut ad
æterna mereamur gaudia perveni-
re. Per Dominum nostrum &c.

Die XI. Februarii.

BB. VII. PATRUM FUNDATO-
RUM ORDINIS SERVORUM
B. V. M.

Missa. Justus ut Palma. De Com-
muni Confess. non Pontif.

Oratio.

Domine JESU Christe qui in ju-
gem memoriam dolorum Sanctissimæ tuæ Genitricis per septem
Beatos Patres nova Servorum ejus
familia Ecclesiam tuam fœcundaisti,
concede nobis famulis tuis in hac
lacrymarum valle degentibus, ita
eiusdem mœstissimæ Matris Socios
cum ipsis esse passionum in terris,
ut perpetuæ consolationis consor-
tes fieri mereamur in cœlis. Qui
vivis, & regnas cum DEO Patre
in unitate Spiritus &c.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus, omni-
potens DEUS, ut nostræ humili-
tatis oblatio, & pro tuorum tibi
grata sit honore Sanctorum, & nos
corpo pariter, & mente purifi-
cat. Per Dominum nostrum JESUM
Christum &c.

Postcommunio.

Quæsumus, omnipotens DEUS,
ut, qui cœlestia alimenta per-
cepimus, intercedentibus Septem
Beatis Confessoribus tuis, per hæc
contra omnia adversa muniamur.
Per Dominum nostrum,

MISSÆ PROPRIÆ.

4

Die XV. Februarii.

S. JULIANÆ Virg. & Mart.

Missa. Loquebar. ut in comm. Virg. & Mart.

Die XXV. Februarii.

S. WALBURGÆ Virg.

Missa. Dilexisti. De comm. Virg.

Oratio.

DEUS, qui inter innumera gratiæ tuæ dona, etiam in sexu fœmineo tua operaris magnalia, concede propitius: ut Beatæ Walburgæ Virginis tuæ, apud misericordiam tuam patrocinia sentiamus, cuius non solum Castitatis illustramur exemplis, verum etiam miraculorum gloriâ jucundamur. Per Dominum &c.

Die XXVIII. & XXIX. Februarii

Anno Bissextili.

S. ROMANI Abbatis.

Missa. Os justi. ut in comm. Abb.

Die III. Martii.

S. CHUNEGUNDIS Virginis.

Duplex maj.

Missa. Vultum tuum. ut in comm. Virg. tantum.

Die XVIII. Martii.

S. GERTRUDIS Virg. Semidupl.

Missa. Dilexisti. ut in comm. Virg. tantum.

Die XIX. Martii.

S. JOSEPHI, Sponsi B. M.V. & Patroni Salisburgensis

Duplex S. C.

Missa. ut in Missali Romano suo loco cum Credo.

Die XXVII. Martii.

Obitus S.RUPERTI, Episc. Confess. & Patroni Primarii Salisburg.

Dupl. S. C. Introitus.

STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum, ut sit illi Sacerdotii dignitas in æternum. Psalmus. Memento Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus. **V.** Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Statuit ei Dominus &c.

Oratio.

Propitiare, quæsumus Domine, nobis famulis tuis, per Sancti Ruperti Confessoris tui, atque Pontificis merita gloriofa: ut ejus pia intercessione ab omnibus protegamur adversis. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

In Quadragesima fit commemoration Ferie.

Lectio libri Sapientiæ.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit DEO, & inventus est justus: & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmavit super caput ejus. Agnovit eum in benedictionibus suis: conservavit illi misericordiam suam: & invenit gratiam coram oculis Domini. Magnificavit eum in conspectu Regum: & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum æternum: & dedit illi Sacerdotium magnum: & beatificavit illum in

glo-

gloria. Fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

Graduale. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **X.** Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. **Alleluja, Alleluja.** **X.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. **Alleluja.**

Post Septuagesimam omissis Alleluja, & Versu sequenti, dicitur Tractus. Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis ejus cupit nimis. **X.** Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicitur. **X.** Gloria & divitiae in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur. Alleluja, Alleluja. **X.** Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. **Alleluja.** **X.** Hic est Sacerdos, quem coronavit Dominus. **Alleluja.**

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem loginquam accipere sibi regnum, & reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio. Cives autem ejus oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est, ut rediret accepto regno: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset. Ve-

nit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: & tu esto super quinque civitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te: quia homo austerus es; tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti. Dicit ei: de ore tuo te judico serve nequam. Sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens, quod non seminavi: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens, cum usuris utique exegi sem illam? Et astantibus dixit: Aufferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem, qui non habet, & quod habet, afferetur ab eo. **Credo.**

Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso; & in Nominе meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

Suscipiat clementia tua, Domine, quæsumus, de manibus nostris munus oblatum: ut per hujus Sancti Confessoris tui, atque Pontificis Ruperti intercessionem ab omnibus nos emundet peccatis. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum.

Communio. Domine quinque talenta tradidisti mihi : ecce alia quinque superlucratus sum : euge ferve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constitua : intra in gaudium Domini tui.

Postcommunio.

Divina libantes mysteria , quæ pro Sancti Confessoris tui , atque Pontificis Ruperti veneratione, tuæ obtulimus Majestati : præsta quæsumus , Domine , ut per ea , veniam mereamur peccatorum , & cœlestis gratiæ donis reficiamur. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum.

Feria II. post Dominicam Judica.

INFESTOS SPINEÆ CORONÆ DOMINI.

Introitus Phil. 2.

Humiliavit semetipsum Dominus IESUS Christus usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod est super omne nomen.

Psalm. 88. Misericordias Domini in æternum cantabo : in generationem & generationem. **V.** Gloria.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum tuum in Passione sua , Spineâ Corona decorari , & Regem adorari voluisti : da nobis quæsumus ; ob piam venerationem Sacræ illius Spineæ Coronæ in cœlesti ejus regno Coronam gloriæ suæ , & æterni Regis majestatem perpetuò contemplari. Per eundem Dominum.

Commemoratio Ferie.

Lectio Libri Sapientiæ. Cant. 3.

Lectulum Salomonis sexaginta fortis ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios , & ad bella doctissimi : uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum : media charitate constravit propter filias Jerusalæm. Ereditimini , & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate , quo coronavit eum mater sua in die sponsationis illius , & in die lætitiae cordis ejus.

Graduale. Ps. 68. Improperium expectavit cor meum , & miseriam : & sustinui , qui simul tecum contristaretur , & non fuit , & consolantem me quæsivi , & non inveni. **V.** Dederunt in escam meam fel , & in siti mea potaverunt me aceto.

Tractus. Isa. 53. Verè languores nostros ipse tulit , & dolores nostros ipse portavit. **V.** Et nos putavimus eum quasi leprosum , & percussum à Deo , & humiliatum.

V. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras , attritus est propter scelera nostra. **V.** Disciplina pacis nostræ super eum : & livore ejus sanati sumus.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

Ioan. 19.

TN illo tempore : Apprehendit Pilatus IESUM , & flagellavit. Et Milites plectentes Coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus , & veste purpurea circumdederunt eum

&

ARCHI-DIOECESIS SALISBURGENSIS

7

& veniebant ad eum, & dicebant : Ave Rex Judæorum : & dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dixit eis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo JESUS portans Coronam spineam, & purpureum vestimentum.

Credo.

Offertor. Infurrexerunt in me viri iniqui : absque misericordia quæsierunt me interficere : & non pepercerunt in faciem meam spure : lanceis suis vulneraverunt me, & concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta.

TUORUM Militum, Rex Omnipotens, virtutem corrobora: ut, quos in hujus mortalitatis stadio Unigeniti Filii tui Corona lætitificat, consummato cursu certaminis, immortalitatis per hæc, quæ offerimus, bravium apprehendat. Per eundem Dominum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Psal. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea.

Postcommunio.

SUPPLICES te rogamus, Omnipotens DEUS, ut hæc Sacramenta, quæ sumpsimus, per sacrosanctam Filii tui Coronam, cuius solemnia recensimus, ad virtutem nobis proficiant & salutem. Per eundem Dominum.

Die II. Aprilis.

S. FRANCISCI de PAULA
Confess. Duplex.

Commem. S. Mariæ Ægyptiacæ.

Oratio. Exaudi, de comm. nec Virg. nec Mart.

Die XV. Aprilis.

S. HELENÆ Reginæ.

Missa. Cognovi. de comm. nec Virg. nec Mart.

Die XXIII. Aprilis.

S. GEORGII Martyris.

Duplex majus.

Missa ut in Missali Rom. suo loco com. S. Adalberti Episc. & Mart.

Oratio. Infirmitatem. de comm. unius Mart. Pontif.

Die XXVI. Aprilis.

SS. CLETI & MARCELLINI
Pont. & Mart. Semid.

Comm. S. Trudberti Mart. Oratio.
Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut intercedente. de comm. unius Mart. non Pontif.

Die 27. Aprilis.

S. PEREGRINI LATIOSI
Confessoris.

Missa. Justus ut Palma. Duplex.

Oratio.

DEUS, qui Beato Peregrino Angelum Comitem, Magistrum DEI param, JESUM tetri ulceris medicum mirè dedisti : da per merita ipsius, obsecramus, ut sanctum Angelum, Virginem, Salvatorem singulariter & amemus in terris, & collaudemus in Cœlis. Per eundem Dominum nostrum.

Die I. Maii.

SS. PHILIPPI & JACOBI Apost.

Duplex S. C.

Comm. S. Sigismundi Reg. & Mart. in Miss. privat. tant.

Oratio. Præsta, quæsumus, Omnipotens DEUS, ut qui Beati. de comm. unius Mart. non Pont.

Die IV. Maii.

S. MONICÆ Viduæ.

Duplex.

Comm. S. Floriani Mart. **Oratio.**
Præsta, quæsumus, Omnipotens
DEUS, ut intercedente. **de comm.**
unius Mart. non Pontif.

Die VII. Maii.

S. STANISLAI Episc. & Mart.

Duplex.

Missa ut in Missali Rom. suo loco.

Die XVI. Maii.

S. JOANNIS NEPOMUCENI

Mart. & Patroni Archi-Dioecesis

Salisburgensis. Dupl. I. Cl.

Introitus. Eccle. 51.

Dedit mihi Dóminus linguam
mercédem meam: & in ipsa
laudábo eum.

Psalm. 38. Dixi: custódiam vias
meas: ut non delinquam in lingua
mea.

Gloria Patri &c. Dedit &c.

Oratio.

Deus, qui ob invictum beati
Joánnis Sacramentale silentium
novâ Ecclésiam tuam Martyrii
corónâ decorásti: da nobis ejus in-
tercessione, & exémplo, linguam
cauté custodire, ac ómnia pótius
mala, quàm ánimæ detrimentum,
in hoc sǽculo toleráre. Per Dó-
minum nostrum &c.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Eccle. 21.

Stultus à fenéstra respicet in
domum: vir autem eruditus for-
ris stabit. Stultitia hóminis auscul-
tare per óstium: & prudens gravá-
bitur contumeliâ. Lábia impru-
dentiū stulta narrábunt: verba
autem prudéntium statérâ pondera-

búntur. In ore fatuórum cor illó-
rum: & in corde sapiéntium os il-
lórum. Dum maledícit ímpius diá-
bolum, maledícit ipse ániam suam.
Susúrro coinquinábit ániam suam,
& in ómnibus odiétur; & qui cum
eo mánserit, odiósus erit: tacitus
& sensátus honorábitur.

Tempore Paschali.

Allelúja, Allelúja.

V. Eccle. 25. Beátus, qui lingua
suâ non est lapsus, & qui non ser-
vivit indignis se. **Allelúja.**

V. Prov. 10. & 12. Lingua pra-
vórum peribit. Lingua autem sa-
piéntum est fámitas. **Allelúja.**

Per Annum.

Graduale. Prov. 11. Qui ámbu-
lat fraudulénter, revélat arcána:
qui autem fidélis est ánni, celat.

V. Psalm. 14. Dómine, quis habi-
tabit in tabernáculo tuo, aut quis
requiéscet in monte sancto tuo?
Qui non égit dolum in lingua sua,
nec fecit próximo suo malum. **Al-
lelúja. Allelúja.**

V. Eccle. 25. Beátus, qui lingua
suâ non est lapsus, & qui non ser-
vivit indignis se. **Allelúja.**

Post Septuagesimam.

Tractus. Jacobi 1. Si quis putat,
se Religiósum esse, non refrœnans
linguam suam, sed sedúcens cor
suum, hujus vana est Religio.

V. Ibid. 3. Si quis in verbo non
offendit, hic perféctus est vir.

V. Ibid. 3. Omnis enim natúra
bestiarum domántur, & dómita sunt
à natúra humana: linguam autem
nullus hóminum domare potest.

+ Sequentia sancti Evangélii
secundùm Matthæum. c. II.

In illo tempore: cum audisset Joán-
nes in vinculis ópera Christi,

mittens duos de Discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Et respondens JESUS ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quae audistis, & vidi- stis. Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit JESUS dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in deserto videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem molibus vestitum? Ecce, qui molibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & plus quam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te.

Credo.**Offertorium. Eccl. 42.**

Non duplices sermonem de revelatione sermonis absconditi; & eris vere sine confusione: & inveneris gratiam in conspectu omnium hominum.

Secreta.

Hec tua, Domine, sacra Mystra illum in nobis quæsumus charitatis ignem accendant, quo inclytus Martyr, & Sacerdos tuus Joannes, ea peragendo, flagrabat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti DEUS, per omnia saecula saeculorum, Amen.

Communio Isai. 6.

Volavit ad me unus de Seraphim: & in manu ejus caleculus, quem tulerauit de altari: & tenuit os meum.

Postcommunio.

Fragilitatem nostram Domine, celestis haec mensa fortium pane confirmet: qui beati Martyris, & Sacerdotis tui Joannis tentatam contra honorem Sacramenti constantiam jugiter aluit ad Victoriam. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti DEUS, per omnia saecula saeculorum, Amen.

Die XVIII. Maii.

S. FELICIS A CANTALICO

Confessoris.

Missa. Justus ut palma. Duplex.

Oratio.

Deus, qui Beatum Felicem Confessorem tuum Evangelica simplicitate, vitaque innocentia in Ecclesia tua clarescere voluisti, fac nos ejus exemplis eruditos, & suffragiis adjutos, ad Christum IESUM, quem ipse in terris inter ulnas accepit feliciter pervenire. Qui tecum &c.

Feria Sexta

POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI IN FESTO SS.^{MI} CORDIS JESU. Col.Rub.**Introitus.**

Hierem. in Thr. c. 3.

Miserabitur secundum multitudinem miserationum suarum; non enim humiliavit ex corde suo, & abiicit filios hominum: bonus est

Dóminus sperantibus in Eum, ánime quærenti Illum. Alleluja, Alleluja.

Psal. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatióne, & generatione. Glória Patri.

Miserébitur.

Oratio.

Concéde quæsumus, omnípotens DEUS, ut qui in sanctissimo dilecti Fílii tui corde gloriántes, præcipua in nos Charitatis ejus beneficia recólimus: Eorum páriter & actu delectémnr, & fructu. Per eundem Dóminum nostrum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. c. 12.

Confitébor Tibi Dómine; quóniam irátus es mihi: convérsus est furor tuus, & consolátus es me. Ecce DEUS Salvátor meus, fiduciáliter agam, & non timebo: quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. Et dicétis in illa die: Confitémini Domino, & invocáte Nomen Ejus, mementóte, quóniam excélsum est Nomen Ejus. Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta, & láuda habitatio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israél.

Graduale. *Jerem. Thren. c. 1.*

O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, & vidéte; si est dolor sicut dolor meus. **X.** Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos. Alleluja, Alleluja.

X. *Matthæi 11. 29.* Díscite à me, quia mitis sum, & húmilius Corde,

& inveniétis réquiem animábus vestrís. Alleluja.

† Sequéntia S. Evangélii secundum Joánnem. **Ioan. 19. 31.**

TN illo témpore Judæi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérant in Cruce cónpora Sábbato (erat enim magnus dies ille Sábbati) rogavérunt Pilátum, ut frangerentur eórum crura, & tollerentur. Venerunt ergo mílités, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum Eo. Ad JESUM autem cum venissent, ut viderunt Eum jam mórtuum, non fregerunt Ejus crura: sed unus mílitum láncea latus ejus aperuit, & continuò exívit sanguis, & aqua; Et qui vidit, testimónium perhibuit, & verum est testimónium ejus.

Credo.

Offertorium. *Psal. 102.*

Benedic ánima mea Dómino, & noli olívisci omnes retributiōnes ejus. Qui replet in bonis desideriū tuum. Alleluja.

Secreta.

Tuére nos Domine, tua Tibi Holocáusta offerentes; ad quæ ut ferventius corda nostra præparentur, flammis adúre Tuæ divinæ Charitatis. Qui vivis, & regnas.

Præfatio de Passione.

Communio Psal. 68.

Improperium expectávit Cor meum, & miseriam, & sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non invéni. Alleluja.

Postcommunio.

Pacíficis pasti delíciis, & salutáribus Sacramentis, Te súpplices exorámus Domine DEUS noster,

ut

ut qui mitis es, & humilis corde, nos à vitiorum omnium labe purgatos, propensius facias à superbis saeculi vanitatibus abhorrere. Qui vivis & regnas.

Die V. Junii.

S. BONIFACII Episc. & Mart.
Missa. Protexistime. Oratio. DEUS qui nos Beati Bonifacii. de comm. unius Mart. Pontif. temp. Paschali. Si extra temp. Paschale celebratur, dicitur Missa. Sacerdotes DEI, ut in comm. unius Mart. Pontif.

Die XV. Junii.

SS. VITI, MODESTI, & CRESCENTIÆ Mart. Dupl. maj.
Missa ut in Missali Rom. suo loco.

Die XVI. Junii.

S. BENNONIS Episc. & Conf. & Patroni Bavariae. Duplex.
Missa. Statuit ei Dominus. cum reliquis de comm. Conf. Pontif.

Oratio.

DEUS qui nos Beati Bennonis Pontificis confessione gloriofa circumdas, & protegis: da nobis, & ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Sanctus tuus, quæsumus, Domine, Benno Confessor, & Pontifex nos ubique lætificet: ut dum ejus recolimus merita gloriofa, apud Te semper patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis: ut Sancti tui

Bennonis Confessoris & Pontificis, cuius solemnia celebramus, etiam intercessione adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Die XXI. Junii.

S. ALOYSII Gonz. Dupl.
Comm. **S. Albani** Mart. Orat. Praesta quæsumus Omnipotens DEUS, ut intercedente.

Die XXII. Junii.

SS. ACHATII, & Soc. Mart.
Semiduplex. Introitus.

Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudes eorum nuntiet Ecclesia: nomina autem eorum vivent in saeculum saeculi. Psalm. Exultate Justi in Domino: rectos decet collaudatio. **V.** Gloria Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum Achatii & Sociorum ejus natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum nostrum.

Oratio de S. Paulino Episcopo & Confessore.

DA, quæsumus, Omnipotens DEUS: ut Beati Paulini Confessoris tui, atque Pontificis veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Fratres. Sancti per fidem vice-runt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt

aciem gladii, convaluerunt de infirmitate: fortis facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuiérunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afficti: quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt: in Christo JESU Domino nostro.

Graduale. **A**nima nostra, sicut passer errepta est de laqueo venantium. **V.** Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. **Alleluja.**

Alleluja. **V.** Justi epulentur, & exultent in conspectu DEI, & delectentur in lætitia. **Alleluja.**

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

IN illo tempore: Videns JESUS turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus: & aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam iporum est regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipsi confolabuntur. Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quo-

niam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi DEUM videbunt. Beati pacifici: quoniam Filii DEI vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Offertorium. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes DEI in faucibus eorum, **Alleluja.**

Secreta.

MUnera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata sint honore Justorum, & nobis salutaria te misericordia reddantur. Per Dominum nostrum.

Secreta de S. Paulino.

Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique lætificant: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

Communio. Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui vos persequuntur.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus, Domine, intercedentibus Sanctis Martyribus tuis Achatio & Sociis ejus: ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum.

Postcommunio de S. Paulino.

Præsta, quæ sumus, Omnipotens DEUS: ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente Beato Paulino Confessore tuo, atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum.

Die VI. Julii.

S. UDALRICI Episc. & Conf.

Duplex majus.

Missa. Sacerdotes. ut in comm. Conf.
Pontif. Commem. Octavæ Apost. Petri & Pauli. Credo.

Die XV. Julii.

S. HENRICI Imperat. & Conf.

Duplex majus.

Missa. Os Justi. ut in comm. Conf.
non Pontif.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die Beatum Henricum Confessorem tuum è terreni culmine Imperii ad Regnum æternum transtulisti: te supplices exoramus; ut sicut illum gratiæ tuæ ubertate præventum, illecebras sæculi superare fecisti; ita nos facias, ejus imitatione, mundi hujus blandimenta vitare, & ad te puris mentibus pervenire. Per Dominum nostrum.

Die XVI. Julii.

In Commemoratione Solemni

B. VIRGINIS MARIAE
de Monte Carmelo.Duplex majus. **Introitus.**

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ MARIAE Virginis:

de cuius Solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium DEI.

Psalmus. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. **Gloria Patri.** Gaudeamus &c.

Oratio.

DEUS, qui Beatissimæ semper Virginis, & Genitricis tuæ MARIAE singulari titulo Carmeli Ordinem decorasti: concede propitius; ut cuius hodie Commemorationem Solemni celebрамus officio, ejus muniti præfidiis, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus sancti DEUS: Per omnia sæcula sæculorum. Am.

Lectio libri Sapientiæ.

EGO quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum: Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sient; Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Graduale. Benedicta & venerabilis es, Virgo MARIA: quæ sine tactu pudoris, inventa es Mater Salvatoris. **V.** Virgo DEI Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus Ho-

mo. Alleluja, Alleluja. **V.** Per te, DEI Genitrix, nobis est vita perdita data: quæ de cœlo suscepisti Prolem, & mundo genuisti Salvatorem. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit; & ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quin imò beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.

Credo.

Offertorium. Recordare, Virgo Mater, in conspectu DEI, ut loquaris pro nobis bona, & ut avertas indignationem suam à nobis.

Secreta.

Sanctifica, Domine, quæsumus, oblata libamina: & Beatæ DEI Genitricis MARIAE saluberrima intercessione, nobis salutaria fore concede. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat.

Prefatio. Et te in Commemoratione Beatæ MARIAE.

Communio. Regina mundi dignissima MARIA, Virgo perpetua, intercede pro nostra pace, & salute; quæ genuisti Christum Dominum Salvatorem omnium.

Postcommunio.

Adjuvet nos, quæsumus Dominus, gloriose tuæ Genitricis, sempèrque Virginis MARIAE intercessio veneranda; ut quos perpetuis cumulavit beneficiis, à cunctis periculis absolutos, tua faciat pietate concordes. Qui vivis & regnas

cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS.

Die XX. Julii.

S. MARGARITÆ Virg. & Mart.

Duplex maj.

Missa. Me expectaverunt. **ut in comm.** Virg. & Mart.

Die XXII. Julii.

S. MARIAE MAGDALENÆ.

Duplex majus.

Missa. ut in Missali Romano suo loco cum Credo.

Die XXVI. Julii.

S. ANNÆ, Matris B. V. M.

Duplex majus.

Missa ut in loco proprio Missalis Romani.

Die V. Augusti.

DEDICATIO B. V. M. ad Nives.

Duplex majus.

Missa. ut in Missali Rom. suo loco

Comm. S. Osvvaldi Reg. & Mart.

Oratio. Præsta quæsumus Omnipotens DEUS, ut qui Beati. **de comm.**

unius Mart. non Pontif. & Com-

mem. S. Paridis Episc. & Confess.

Oratio. Da quæsumus. **de comm.**

Conf. Pontif.

Die IX. Augusti.

SS. AFRÆ, & Soc. Martyrum.

Duplex.

Missa. Me expectaverunt. **Oratio.**

Da nobis quæsumus. **ut in comm.**

Martyr. non Virg. comm. Vigil. S.

Laurentii, & S. Rom. Mart. **Evan-**

gel. Vigil. in fine Missæ.

Die

Die XIII. Augusti.

CASSIANI Episc. & Mart.

Duplex. **Introitus.**

Sacerdotes DEI benedicte Dominum: Sancti, & humiles corde laudate DEUM. **Psalm.** Benedicte omnia opera Domini Domino: Laudate & superexaltate eum in saecula. **V.** Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui nos Beati Cassiani Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate laetificas; concede propitius; ut cuius natalitia collimus, de ejusdem etiam protectione gaudemus. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum: Qui tecum vivit.

Oratio de S. Hippolito.

Da, quæsumus, Omnipotens DEUS: ut Beati Martyris tui Hippoliti veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Fratres, Benedictus DEUS, & Pater Domini nostri JESU Christi, Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à DEO. Quoniam sicut abundant Passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat confortatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute; sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas

& nos patimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes, quod, sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis: in Christo JESU Domino nostro.

Graduale. Gloria & honore coronasti eum: **V.** Et constitisti eum super opera manuum tuarum, Domine. Alleluja, Alleluja. **V.** Hic est Sacerdos, quem coronavit Dominus. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis: cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consumbatis civitates Israël, donec veniat Filius hominis. Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut Magister ejus: & servo, sicut Dominus ejus. Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus? ne ergo timueritis eos: Nihil enim est operatum, quod non revelabitur, & occultum, quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædictate super tecta. Et nolite timerre eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.

Offertorium. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

Secreta.

MUnera tibi, Domine, dicata sanctifica: & intercedente Beato Cassiano Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum nostrum.

Secreta de S. Hippolyto.

REspice, Domine, munera populi tui, Sancti Hippoliti festivitate votiva: & tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem.

Communio. Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Postcommunio.

HÆc nos communio, Domine, purget à crimine: & intercedente Beato Cassiano Martyre tuo, atque Pontifice, cœlestis remedii faciat esse confortes. Per Dominum nostrum JESUM Christum.

Postcommunio de S. Hippolyto.

SAcramentorum tuorum, Domine, communio sumpta nos salvet: & in tuæ veritatis luce confirmet.

Die XIX. Augsti.

Quinta die infra Octav. Assumpt.

B. M. V. Semiduplex.

Comm. S. Magni Mart. Oratio.

Præsta quæsumus Omnipotens DEUS, ut intercedente. **de comm.** unius Mart. non Pontif.

Die XXVIII. Augsti.

S. AUGUSTINI Confessoris Pontificis, & Ecclesiæ Doctoris.

Duplex S. C.

Missa ut in Romano Missali cum Credo.

Die XXX. Augsti.

S. HERMETIS Martyris.

Duplex. Introitus.

IN virtute tua, Domine, lætabitur Justus: & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei. **Psalmus.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. **V. Gloria Patri.**

Oratio.

DEUS, qui Beatum Hermetem Martyrem tuum virtute constantiæ in passione roborâsti: ex ejus nobis imitatione tribue, pro amore tuo prospera mundi despicer, & nulla ejus adversa formidare. Per Dominum nostrum.

Oratio de SS. Felice & Adaucto Martyribus.

MAjestatem tuam, Domine, suplices exoramus: ut sicut nos jugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per Dominum nostrum.

Lectio libri Sapientiæ.

JUSTUM deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum DEI, & dedit illi scientiam Sanctorum; honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum, affuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum: descenditque cum il-

lo in foveam: & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant. Et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum: & dedit illi claritatem æternam, Dominus Deus noster.

Graduale. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicitur. **Alleluja, Alleluja.** **V.** Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso. **Alleluja.**

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore: dixit JESUS turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum: ne, postequam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipient illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogit ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Offertorium. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine.

Secreta.

Sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus in tuorum commemoratione Sanctorum: da, quæsumus; ut, quod illis contulit gloriam, nobis proficit ad salutem. Per Dominum nostrum.

Secreta de SS. Felice &c. Mart.

Hostias, Domine, tuæ plebis intende: & quas in honore Sanctorum tuorum devota mente celebrat, proficere sibi sentiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

Communio. Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.

Postcommunio.

Repleti, Domine, benedictione cœlesti, quæsumus clementiam tuam: ut intercedente Beato Hermite Martyre tuo, quæ humiliter gerimus, salubriter sentiamus. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

De SS. Felice & Adaucto Mart.

Repleti, Domine, muneribus sacris, quæsumus: ut intercedentibus Sanctis tuis, in gratiarum semper actione maneamus. Per Dominum nostrum.

Die IV. Septembr.

Translatio S. ERNTRUDIS Virg.

Duplex.

Missa. Dilexisti. ut in comm. Virg. tantum.

Die V. Septembr.

S. LAURENTII JUSTINIANI
Episcopi & Confessoris.
Semiduplex.

Missa. Statuit. *ut in comm. Conf. Pontif.*

Die IX. Septembbris.

S. CORBINIANI Episc. & Conf.
Duplex.

Missa. Statuit. *ut in comm. Conf. Pont. comm. Oct. Nativit. B. M. V.*
& S. Gorgonii Mart. *ut in Missali Romano suo loco*

Die XVII. Septembbris.

Impressio SS. Stigmatum in Corp.
S. Francisci Conf. Duplex.

Missa. *ut in Missali Rom. suo loco.*

Die XXIV. Septembbris.

Translatio S. RUPERTI Episcop.
Conf. & Patroni Primarii Salisb.
Dupl. P. C. cum Octava.

Missa. *ut in die obitus (27. Mart.)*
Oratio.

Propitiare, quæsumus, Domine
nobis famulis tuis, per S. Ru-
pertii Confessoris tui, atque Ponti-
ficiis solemnia gloriofa: ut ejus pia
intercessione ab omnibus protega-
mur adversis. Per Dominum no-
strum. **Credo.**

Die XXV. Septembbris.

Dedicatio Ecclesiæ Metropoli-
tanæ Salisburgensis.
Duplex P. C.

In Civitate celebratur cum Octava.
Missa. Terribilis est locus iste. *ut in*
comm. Dedicat. Ecclesiæ.

Die XXVI. Septembbris.

Translatio S. VIRGILII Episcopi,
Confessoris, & Patroni Secun-
darii Salisburgensis.

Duplex S. C.

Missa. Statuit. *ut in comm. Confess. Pontif. comm. SS. Cypriani & Justinæ Mart. in Missis privatis tantum. Orat. ut in Missali Romano suo loco. Credo.*

Die XXVII. Septembbris.

SS. COSMÆ & DAMIANI.
Fratr. & Mart. Semidupl.

Comm. Octav. S. Ruperti. **Credo.**

Die XXVIII. Septembbris.

S. WENCESLAI Regis & Mart
Semiduplex.

Comm. Octavæ S. Ruperti. **Credo**

Die XXX. Septembbris.

S. HIERONYMI Presb. Conf. &
Eccl. Doct. Duplex.

Comm. Octavæ S. Ruperti.

Die I. Octobris.

Octava Translationis
S. RUPERTI. Duplex.

Missa. *ut in die.*

Die II. Octobris.

S. REMIGII Episcopi & Conf.
Semiduplex.

Missa. *ut in Missali Rom. suo loco*

Die XI. Octobris.

SS. GEREONIS & Soc. Mart.
Semiduplex.

Missa. *Salus autem Justorum. ut*
in comm. plur. Mart. Evang. Cum

audiēritis prælia. de eodem comm.
primo loco.

Die XII. Octobris.

S. MAXIMILIANI Episcopi &
Martyris. Duplex.

Missa. Sacerdotes DEI. de comm.
unius Mart. Pontif. Evang. Si quis
venit ad me. ex Missa præcedenti
ibidem.

Die XIII. Octobris.

S. EDUARDI Regis Confessoris.

Semiduplex.

Comm. S. Colomanni Mart. **Oratio.**
Præsta quæsumus Omnipotens DEUS:
ut qui Beati. **de comm. unius Mart.**
non Pontif.

Die XVI. Octobris.

S. GALLI Abbatis.

Semiduplex.

Missa. Os Justi. **ut in comm. Abb.**

Die XX. Octobris.

S. VITALIS Episc. & Confessoris.

Duplex.

Missa. Sacerdotes tui. **ut in comm.**
Conf. Pont. 2. loc. sed **Orat. Secret.**
& Postcomm. accipiantur ex Missa
Statuit. **ut in comm. Conf. Pontif.**
1. loc.

Die XXI. Octobris.

SS. URSULÆ, & Sociarum Vir-
ginum, & Martyrum.

Semiduplex.

Missa. Loquebar. **ut in comm. Virg.**

& Mart. Epist. De Virginibus præ-
ceptum Domini. **ex Missa.** Vultum
tuum. ut in comm. Virg. non Mart.
Orat. Secret. & Postcomm. dicuntur
ut in comm. Plurium Virg. & Mart.
comm. S. Hilarionis Abb. **Oratio.**
Intercessio. **de comm. Abb.**

Die XXIII. Octobris.

S. SEVERINI Episcopi Conf.
Missa. Statuit. **ut in comm. Conf.**
Pontif.

Die XXV. Octobris.

SS. CHRYSANTHI & DARIÆ,
CRISPINI & CRISPINIANI
Mart. Duplex.

Missa. Sapientiam Sanctorum. **ut**
in comm. plurim. Mart.

Die XXVI. Octobris.

Translatio S. AMANDI Episcopi
& Confessoris. Duplex.

Missa. Sacerdotes tui. **ut in comm.**
Conf. Pontif.

Oratio.

Læta nos, quæsumus, Domine,
Beati Amandi Confessoris tui,
atque Pontificis festivitas semper
excipiat, quæ & jucunditatem no-
bis füe glorificationis infundat, &
tibi nos reddat acceptos. Per Do-
minum nostrum.

Comm. S. Evaristi Papæ & Mart.
ut in Missali Romano suo loco.

Die XXXI. Octobris.

S. WOLFGANGI Episc. & Conf.
Dupl. per tot. German.

Missa. Sacerdotes tui. **ut in comm.**
Conf. Pontif.

Oratio.

DEUS, qui nobis æternæ salutis Beatum Wolfgangum Episcopum, ministrum tribuisti: præsta, quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum.

Comm. Vigiliæ omnium Sanctorum. & ejus Evang. in fine Miff. ut in Missali Romano.

Die VI. Novembris.

Sexta die infra Octavam omnium Sanctorum. Semiduplex.

Comm. S. Leonardi Abb. **Oratio.**

Intercessio. de comm. Abbatum.

Die XI. Novembris.

S. MARTINI Episcopi & Conf.

Dupl. S. C.

Missa. ut in Missali Romano. **Com.**

S. Mennæ Mart. in Missis priv. tant.

Die XV. Novembris.

S. LEOPOLDI, Marchionis Austriae, Confessoris. Duplex.

Introitus.

OS Justi meditabitur sapientiam: & lingua ejus loquetur judicium: lex DEI ejus in corde ipsius. Psalm. Noli æmulari in malignan- tibus: neque zelaveris facientes ini- quitatem. **V.** Gloria Patri.

Oratio.

DEUS, qui Beatum Leopoldum à sæculi curis ad cœlestem gloriā transvexit: concede quæsumus, ita nos per hæc temporalia

pertransire, ut æternæ vitæ con- fortia mereamur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

Beatus vir, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressor: facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosy- nas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

Graduale. Justus ut palma flo- bit; sicut cedrus Libani multipli- cabitur in domo Domini. **V.** Ad annuntiandum manè misericor- diam tuam, & veritatem tuam per noctem. Alleluja, Alleluja. **V.** Bea- tus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, ac- cipiet coronam vitæ. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secun- dum Lucam.

TN illo tempore: dixit Iesus Disci- pulis suis parabolam hanc: Ho- mo quidam nibilis abiit in regio- nem longinquam accipere sibi re- gnum, & reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiami- ni, dum venio. Cives autem ejus oderant eum: & miserunt legatio- nem post illum, dicentes: Nolu- mus hunc regnare super nos. Et factum est, ut rediret accepto re- gno: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset. Venit au-

tem

tem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in modo fuiſti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es; tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti. Dicit ei: de ore tuo te iudico serve nequam. Sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens, quod non seminavi: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens, cum usuris utique exegisssem illam? Et adstantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso; & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

LAUDIS tibi, Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum.

Communio. Beatus servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua consti-tuet eum.

Postcommunio.

DEUS, qui Beatum Leopoldum Confessorem tuum mirificasti in terris, & gloriosum in cœlis fecisti: eundem quæsumus Ecclesiæ tuae constitue defensorem. Per Dominum nostrum.

Die XVI. Novembris.

S. GERTRUDIS Virginis. Duplex.
Comm. S. Othmari Abb. **Oratio.**
Intercessio.

Die XXV. Novembris.

S. CATHARINÆ Virg. & Mart.
Duplex majus.
Missa. ut in Missali Romano.

Die XXVI. Novembris.

S. PETRI ALEXANDRINI
Episcopi & Mart.
Comm. S. Conradi Episc. & Conf.
Oratio. Exaudi. de comm. Conf.
Pontif.

Die XXVII. Novembris.

Obitus S. VIRGILII Episcopi, Confessoris, & Patroni Salisburgen-sis Secundarii.

Dupl. P. C. cum Octava.

Missa. Statuit. ut in comm. Conf.
Pontif. **Credo.**

Die XXVIII. Novembris.

Secunda die infra Octav. S. Virgilii.
Semiduplex:

Missa. ut in die. **Oratio 2.** Conce-

de 3. Ecclesiæ, vel pro Papa. extra
Adventum.

Die XXIX. Novembris.

Missa dicitur de Vigilia S. Andreæ.
com. Octavæ, & S. Saturnini Mart.
ut in Missali Romano suo loco.

Die I. Decembris.

Quinta die infra Octav. S. Virgilii.

Semiduplex.

Comm. S. Eligii Episcopi & Confes-
foris. Oratio. Exaudi. de comm.
Conf. Pontif.

Die II. Decembris.

S. BIBIANÆ Virginis & Mart.

Semiduplex.

Comm. Octavæ S. Virgilii, & fer.
Adventus. Credo.

Die III. Decembris.

S. FRANCISCI XAVERII Conf.

Duplex.

Comm. Octavæ S. Virgilii, & fer.
Adventus. Credo.

Die IV. Decembris.

Octava S. VIRGILII. Duplex.

Missa. ut in die comm. fer. Adv.

Die V. Decembris.

S. BARBARÆ Virginis & Mart.

Duplex.

Missa. Loquebar. ut in comm. Virg.

& Mart. Evang. Simile est Regnum
Cœlorum thesauro abscondito. ex
sequenti Missa. comm. fer. & S. Sab-
bæ Abbatis. Oratio. Intercessio. de
comm. Abbatum.

Die VI. Decembris.

S. NICOLAI Episcopi & Conf.

Duplex majus.

Missa. ut in Missali Rom. suo loco.

Die XIII. Decembris.

S. LUCIAE Virginis & Mart.

Duplex.

Missa. ut in Missali Romano suo lo-
co. Comm. S. Othiliæ Virginis.

Oratio.

DEUS, qui nos annua Beatæ
Othiliæ Virginis tuæ solemnni-
tate lætificas: da quæsumus: ut quam
veneramur officio, etiam piæ con-
versationis sequamur exemplo. Per
Dominum.

Secreta.

SUscipe, Domine, munera, quæ
tibi in Beatæ Othiliæ Virginis
tuæ solemnitate deferimus: cuius nos
confidimus patrocinio liberari. Per
Dominum.

Postcommunio.

AUxilientur nobis, Domine, sum-
pta mysteria: & intercedente
Beata Othilia Virgine tua, sempi-
terna faciant protectione gaudere.
Per Dominum.

**DEO Ter Optimo Maximo, Deiparæ Virgini sine labe
Conceptæ, Divis Tutelaribus Ruperto & Virgilio,
Sanctisque omnibus**

LAUS, HONOR, ET GLORIA.

